Columbini Onariani: Thesaurus absconditus verbi incarnati.

# THESAVRVS ABSCONDITVS VERBI INCARNATI

Thesauros omnes Gratiæ, Sapientiæ & Scientiæ Dei excellentissime complectens.

*Ex Thesauro doctrinæ D. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici excerptus.*

Thesaurus iste, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi, Deus. Verbum est, qui in Carne Christi videtur absconditus. *Hieron: sup. Matt.*

*Exponetur publicæ Disquisitioni Crac. ad Ædes SS. Trinit. satisfaciente obiectis F.* MARIANO COLVMBINO, *sub Patrocinio Reu. P. F. Camilli Iasinski, S. Theol. Bac. Anno Domini,* 1619.

*Mense* *Die* *Hora*


CRACOVIÆ,

Ex Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis.

VIS NESCIA VINCI.



*Qvid sibi Stemma notat? quid magnum Stemma repandit?*
*Spicula Crux signat bina, sub astra volans!*
*Quid saliens Vulpes in culmine Stemmatis almi?*
*Quid sapis ô SÆPIEHÆ ac Vir generose? refer.*
*Iam scio: Crux pietate micat, Virtusq; Sagittâ.*
*Et Vulpes saltus decipit ore tuos.*
*Sancta Sapis: vibra iaculum graue in hostica castra;*
*Æstra Sagitta dabit, Cruxq; Brahea tibi.*

## DIADOCHOS.

*Nomina bina souet Verbum sub Blemmate, celsum,*
*Magnati bino, munera sancta Dico.*
*Dictitat illa sibi Casimirus, dictat & alter,*
*Amborum sunto. Nam Deus vnus homo.*

*Illustribus & Generosis Dominis,*

# D. CASIMIRO, & D. THOMÆ SAPIEHIS.

*Illustrißimi Domini,*

## D. NICOLAI SAPIEHÆ,

Palatini Nouogroden. Niemonoicen. Hainen. &c. &c. Capitanei,

OPTIMÆ SPEI FILIIS

Fr. MARIANVS COLVMBINVS ex Ord. Prædicatorum, Sac. T. Stud. Formalis Fælicit.

*THESAVRVM ABSCONditum, non ex visceribus terræ erutum, sed ex sacratißimo augustißimæ Triadis ærario depromptum, & per viscera gloriosæ cælorum Reginæ fæcundißima in terram delapsum Vobis Illustr. & Gen. Domini pro mea tenuitate verecundiùs, pro rei maiestate animosiùs offero dedicoq;. Vobis, inquam, quorum & illustrißima familia longe latèq; exporrectis domesticæ gloriæ radiis, quâ naturæ, quâ fortunæ, virtutūq; thesau-*

... ſauros ſatis Superq́; complexa, & propriæ Spectatiſsima indoles virtutis, Theſarum hunc meum non magnificentiùs, quàm veriùs ſibi vendicauit. Quid ita? Quemadmodum excelſæ virtutis eſt, ad ſublimia quæq́; animo & deſiderio aſſurgere; ita Magni Parentis magnæ Spei filiorum eſt, natiua & honeſtiſsima quadam ratione, adeò morum vitæq́; integerrimæ lucere igniculis, vt eos intimè exoſculari, & Diuini oblatione Theſauri liceat venerari. Ex quo quidem theſauro clariſsima illa maiorum veſtrorum lumina, electũ pietatis aurum in Deum O. M. & Patriam, argentum nunquam adulteratæ fidei erga Sereniſſimos Poloniæ Reges, gemmas & lapides virtutum precioſos, vſq; ad abundantiam accepêre. Cæterùm ego cum mirificum natalium veſtrorum aſpicio ſplendorem, in quibus ampliſsimæ nobilitatis cum virtute, pulcherrimum, non ſanguinis, ſed ad immortalitatem conſecrati nominis certamen admiror: profectò Illuſtriſsimi Parentis Veſtri admirabilis virtutum heroicarum fulgor, ita meos perſtringit oculos, vt illic Syderum hic fulgentiſsimos veluti Solis radios intueantur. Abſconditus quippe Theſaurus, aperto liberalitatis ſinu, magnifica ſanè cæleſtium diuitiarum munera in eum cumulatiſsimè effudit. Vultis aurum puriſsimum? Dei & Reipub. amor, aurum eſt, Orthodoxæ fidei claritate reſplendens. Argentum deſideratis? multis teſtata experimentis fidelitas in

litas in

litas in Principem sincerissima, argentum est. Vnio: nunc vel lapidis praestantiam? sibi ipsamet merces & precium virtus, omni praeciosior auro lapis est; qui boni cuiusq; mentem eò in maiorem rapit admirationem, quò naturae grauedinem, grauitate animi, in obeundis honorificè domi forisq; sui Principis legationibus, diues honoris & gloriae, feliciùs deuicit. Vestra isthaec gloria est Illustr. & Gen. Domini, vestraeq; indoli porrectum incentiuum, & tanquam praeclarissimum omnium actionum cogitationumq; vestrarum exemplar ante oculos propositum in tota vita vobis imitãdum obseruandumq; quis dubitet? vt ij vel maximè sitis, qui non fumosis duntaxat maiorum imaginibus, sed magis in eorum lucidissimis insistentes vestigiis, & virtute propria rerumq; praeclarè gestarum praesidio muniti, ad honores, ad gloriam, ad immortalitatem vobis comparandam curriculo felicissimo euecti celeriùs contendatis. Redeo iam ad Thesaurum Absconditum, eumq; amplissimo vestro nomini iterum atq; iterum offero. Et quoniam illud quantò est illustrius tantò humanius, spero fore, vt hoc meum propensi animi alacritate conditum munus, prius in animum, deinde ad dexteram vestram admittatis. Nolite quaerere oblati muneris commendationem, quia Verbum Dei est in carne absconditum; nolite scrutari magnitudinem, quia augustissima Maiestas est; non praestantiam, quia aeterna felicitas est, neq; vtilitatem,

*quia Thesaurus est. Hunc vos Illustr. & Gen. Dñi vestræ galeæ freti securitate, in animis pectoribusq; vestris recondite, & singulari supereminentis vulpeculæ prudentia æternùm conseruite. Absconditus licet sit, attamen sagitta illa ardentissimi amoris vestri transuerberatus prodibit, agnoscetq; diadema vestrum Rex Regum, & cruces vestras orbis per crucem reparator amplectetur. Bene & feliciter crescite, cum amoris in familiam D. Dominici Prædicatoriam incremento.*

Fr. MARIANVS CO-
LVMBINVS, Sac. Th.
Stud. Ord. Prædic.

# THESAVRVS ABSCONDITVS VERBI INCARNATI
## De Gratia Vnionis.

PRetiosissimum thesaurum in agro Vteri Virginei inuenimus Christū fide docente cōstare duabus Naturis, Diuina scilicet & Humana, ad inuicem vnitis. Quarum tamen Vnio non est facta in Natura, sic quòd ex illis resultet aliqua tertia Natura. Id enim esse impossibile, ipsa ratio demonstrat docens, Diuinam Naturam esse intransmutabilem, nec posse esse alicuius formam in esse naturali, licet in esse intelligibili possit esse, in intellectu creato vicem supplens Speciei intelligibilis.

2. Sed est facta in Persona seu supposito aut hypostasi: Sic quòd Terminus huius excellentissimæ Vnionis sit persona Diuina. Omne enim quod inest alicui personæ siue pertineat ad naturam illius, siue non, vnitur ei in persona.

3. Et cum Persona super hypostasim nō addat nisi determinatam naturam, rationalem, scilicet, idcirco impiè

co impiè

co impiè imo hæreticè loquuntur illi, qui dicunt Vnionem hanc in persona non tamen in hypostasi factam fuisse, asserentes in Christo duas hypostases vel duo supposita fore.

4. Licet aũt ibi sit vnum subsistens, quia tamen est alia & alia ratio subsistendi, ideo Persona Christi verè & formaliter dicitur composita. Et propter hanc etiam duplicem rationem subsistendi personæ Verbi in duabus naturis posset dici, quod illa persona est formaliter cõposita ex naturis, Diuina videlicet & humana, tanquam ex terminis, in quibus cõpositio personalis exercetur, non tamen tãquam ex extremis compositionis.

5. Amplius Vnio hæc non est accidẽtalis, vt impiè sensit Nestorius, sed est substantialis, non tamen in tantum vt confundat duas in Christo Naturas, vt voluit Eutyches. Errant igitur ambo, ille separando Personam Filij Dei à Persona hominis, iste verò vnam naturam sicut & personam in Christo asserẽdo.

6. Eadem Vnio est maxima omnium vnionũ, ratione illius in quo vniuntur, id est Diuinæ Personæ, quæ est maximè Ens, maximè Vna, non autem ratione vnitorum.

7. Quamuis aũt Personæ Diuinæ propriissimè conuenit naturam humanam assumere, cum ipsa sit Principium & Terminus assumptionis; secundariò tamen & ratione Personæ conuenit & Naturæ Diuinæ,

uinæ, imò de facto hoc modo Natura Diuina incarnata est, quia Carnem ad sui Personã assumpsit.

8. Quin imò etiam abstracta per intellectum Personalitate, quæ de facto est in Deo, Natura Diuina posset assumere; adhuc enim haberet omnipotentiam, per quam facta est Incarnatio. Nec illi defuisset Persona (sed non aliqua harum quas per intellectum ab illa segregamus) vt gentes & Iudæi intelligunt, & tunc fuisset, hic Deus, tanquàm suppositum Deitatis, & Persona propriissimè dicta, Datur enim hic Deus, cõmunis tribus Personis, non tamen cum illis in numerum ponens, sicut prærer subsistentias relatiuas, datur etiam in Deo subsistentia absoluta, quâ subsistit Deus.

9. Ad hãc vnionem personalem assumi magis naturam humanam conueniebat (non quidem secundùm pasiuam potentiam naturalem, sed secundùm congruentiam) quam aliquam aliam creaturam. Et hoc tum ratione dignitatis, quæ deest inferioribus, tùm ratione necessitatis, quæ deest superioribus. Licet absolutè tàm natûra Angelica, quam quęuis alia inferior assumptibilis fuerit.

10. Sic verò verbũ Patris vniuit sibi naturam húmanã, quod nullo modo personam eiusdem assumpserit. Persona enim, non præintelligitur assumptioni. Alias vel corrumperetur & sic frustra esset, vel

in Christo essent duæ personæ, quod est inconueniens, nam sicut ponimus in ipso vnicum esse, ita ponere vnicam personam necessùm est.

11. Nec naturã ab omnibus indiuiduis abstractã, nec in omnibus indiuiduis existentem: sed assumpsit hanc naturam ex styrpe Adæ, cum carne & sanguine, & Anima intellectiua, cum omnibus potentiis. Qua mediante assumpsit Carnem. Animam vero assumpsit, mediãte Spiritu, vel mente.

12. Attamen non prius Animam, quam Corpus. Quia tunc Anima aliquando propriam subsistentiam habuisset. Et sic vel non fuisset vnio facta secundum subsistentiam, vel subsistentia præexistens annihilaretur, quod non est concedendũ. Simul itaq; vtrumq; assumpsit Animam & corpus verum, terrenum, non Cæleste, aut aereum.

## De Gratia Habituali.

LIcet Christus Dominus sit verè Deus secundùm Personam, & naturam Diuinam. Quia tamen cum vnitatè Personæ, remaneat ibi distinctio Naturarum. Ideò Anima Christi, non est per suam essentiam Diuina: sed oportet quod sit Diuina per participationem, quæ est secundum gratiam habitualem. Quam veluti quandàm proprietatem concomi-

comitantem gratiam vnionis, in Christo Domino ponimus in excellentissimo gradu, qualem decet & conueniens est habere vnigenitum.

2. Et sicut certum est ex fide, in Anima Christi eam esse secundum suum effectum formalem: Ita ea fide tenendum quoq; est: quod quemadmodum in aliis hominibus iustis, gratis Deo, sic in ipso gratia est Habitus, infusus à Deo, vt aliquid creatum inhærens Animæ eius.

3. Quam adeò necessariam esse in humanitate Christi docet D. Thom. Quod impossibile sit: etiam per absolutam Dei potentiam, vt Christus Dominus in quantum homo, sit gratus Deo gratitudine formali, absq; gratia habituali, & vt mereri posset vitam æternam, seu pręmium supernaturale à Dęo, vt est supernaturalis remunerator.

4. Inde velùti è fonte virtutes omnes promanantes, in Christo Domino relucebant, in gradu hæroites, in Christo Domino relucebant, in gradu hæroico seu modo perfectissimo. Etsi non omnes secùndùm omnes earum actus. quas ille habuit infusas ab instanti conceptionis suæ, non eas tantum quæ dicũtur & sunt infusæ ex suo genere, verumetiam illas quæ propria virtute acquisibiles sunt ab homine.

5. Remota tamen virtute Fidei, quæ in Christo Domino locum habere minime potuit, etiam per absolutã Dei potẽtiam, sicut nec in aliquo Beatorũ

cum ſit nedũ viator, ſed etiã perfectiſsimus cõprehenſor, ſimiliter virtutem ſpei ab ipſo excludimus, quæ ſolummodo reſpectu aliquorum inerat ei, quæ nondum adeptus fuit, vt immortalitatis, gloriæ corporis, gloriæ omnium prædeſtinatorum. Quem habitum aut actum non eſſe elicitum ab habitu Theologico, ſed potius eſſe actum deſiderij propriè loquendo affirmamus: cuiuſmodi deſiderium ponit S. Thom. in Beatis reſpectu gloriæ corporum quod non poteſt propriè appellari Spês.

6. Dona quoq; Spiritus ſancti Excellentiſsimè ipſi collata ſunt, ſecundùm quæ potentiæ diſponi ſolent, per ſpecialem inſtinctum Spiritus S. ad altiores actus moralium virtutum in quorum numero reponimus, & timorem Dei in eo cauſatum reſpectu Diuinæ eminentiæ qui reuerentialis nũcupatur.

7. Omnes item gratiæ gratis date, vt in primo & principali fidei Doctore excellentiſsimè in ipſo extiterunt. Spectabant namq; ad perfectionem eiuſdem, quemadmodum & gratia habitualis, Differenter tamen eò quia habitualis gratia perficiebat ipſũ immediatè coniungendo vltimo fini, per aſsimilationem. Gratiæ vero gratis datę proût ordinant hominem, ad quædam præparatoria fini vltimo, nec reiicimus prophetiam, quam etiam in Chriſto fuiſſe conſtat.

Vnde

8. Vnde his omnibus pensatis plenitudinem gratiæ, nedum quantùm ad Quantitatem intensiuam, verum etiam extensiuè in eodem confitemur tanquàm in vniuersali principio habentium gratiam. Et licèt alij Sancti pleni gratia dicantur illa plenitudinè gratiæ, quæ accipitur ex parte subiecti, ad id quod homo est Diuinitus præordinatus, plenitudo tamen gratiæ secundùm rationem gratiæ, tam intensiuè quam extensiuè adeò est Christo propria, vt nulli Sanctorum, vt sic conueniat.

9. Est enim illa gratia Christi infinita, non quidem secundùm rationem Entis, sic enim finita est, sicut & suum subiectum, sed secundum rationem gratiæ. Attamen eiusdem est speciei, quoad essentiam cum gratia aliorum, Et differt quo admodum essendi tantum siue specie modali.

10. Et quod maius est adeò est gratia Christi infinita, vt nec per Diuinam potentiam absolutam augeri posit, nec ex parte ipsius gratiæ nec ex parte subiecti, quemadmodum enim (etiamsi fingendi detur licentia) non potest imaginari maiot finis, quam ipsa vnio verbi incarnati, ita nec est posibile dari maiorem gratiam illa, quæ ad hanc vnionem ineffabilem ordinatur; ex qua suam sortitur amplitudinem, sicut & omnes aliæ formæ ex suo fine; Gratia enim Christi consequitur hanc vnionem, sicut splẽdor solem.

 Sicut

11. Sicut igitur non datur maior ſplendor, ſplendore ſolis, niſi detur ſol ſplēdidior, ita nec gratia Chriſti poteſt dari maior niſi detur maior vnio. At quia nedum de potentia Dei ordinaria, verumetiam nec de potentia abſoluta poteſt dari maior vnio, ideo nec gratia.

12. Quam gratiã, Vnionis gratia præceſsit in Chriſto non ordine Temporis, ſed naturæ & intellectus, vnde bene ſequitur gratiam habitualem non fuiſſe, nec potuiſſe eſſe diſpoſitionem ad vnionem Hypoſtaticam, vt præcedentem ipſam in aliquo genere cauſæ. Quemadmodum & ipſam infuſionem gratiæ in Anima Chriſti nulla diſpoſitio aut meritum anteceſsit, ſed conſequebatur vnionem, veluti quædam proprietas non vere & proprie dicta, ſed ſecūdario: & per quãdam coaptationem, pro quanto eſt connaturalis Chriſto.

# De Gratia Capitis.

QVare merito Chriſtus Dominus dicitur Caput Eccleſiæ totius, tàm militantis quàm triumphãtis, tàm Angelorum quàm hominum in quocunq; ſtatu exiſtentium, ad ſimilitudinem Capitis naturalis. Ex quo Capite in omnia eius membra fluxit gratia nedum accidentalis, ſed etiam eſſentialis

(quod

(quod dico propter Angelos) nedum post peccatũ, sed etiam in statu innocentiæ (quod dico propter homines) illa originalis iustitiæ gratia ab eodem capite (non solum in quantum Deus erat, verum etiam in quantum homo specificatiuè) deriuabatur.

2. Non quoad Animas tantum, sed etiam quoad Corpora tota humanitas Christi est Caput hominum. Et quoad Animas principaliter quoad Corpora secundario, nec solùm quoad supernaturales perfectiones, sed etiam quoad naturales vt subordinantur ordini gratiæ & fini supernaturali & non præcisse. Quamuis vt sic sit etiam omnium creatu- rarum Finis.

3. Est itaq; Caput omnium hominũ, exceptis damnatis, secùndum totum tempus mundi. Secundum diuersos gradus tamen. Quæ quidem gratia, secundum quam est Caput Ecclesiæ alios iustificãs, sola ratione differt, à Gratia personali, quâ Anima Christi est iustificata, cum tamen idem sint secundum essentiam.

4. Esse igitur Caput Ecclesiæ secùndũ influxum interiorem est proprium Christo. Cæterum esse caput Ecclesiæ secundum exteriorem gubernationem commune est Christo, & aliis, differenter tamen, tum ratione extensionis, quia Christus est caput eorum omniũ, qui ad Ecclesiam pertinent, secundum

omnem

omnem locum, & tẽpus, & statum, alij verò secundum specialia loca, vt Episcopi, vel tempus determinatum vt Papa, & secundum determinatum statum, scilicet viæ vt Optimates Capita populorum vocat *Amos 6.* Tum ratione virtutis, quia Christus est caput Ecclesiæ propria virtute & autoritate, alij vero vices gerũt Christi. *Pro Christo* (inquit S. Paulus) *legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*, quare Christus dicitur *princeps pastorarũ* 1. *Petr*: 5.

5. Præterea licet & Diabōlus secundum exteriorem gubernationem, omnium malorum dicatur Caput, similiter & Antichristus, quia tamen non eo modo quo Christus Dominus vt dictum est, ideo non conuenit eis propria ratio Capitis.

# De Scientia Beata Christi.

1. ET quoniam Filius Dei humanam naturam integram assumpsit, non solum Corpus, sed etiam Animam, non tantum sensitiuam, verumetiam rationalem. Ideo in Christo Domino oportuit esse aliquam scientiam creatam præter increatam, nam licet per scientiã Diuinam cognouerit omnia, quia tamen intelligere Dei est sua substantia, quæ non potest esse actus secundùm esse naturale alicuius creaturæ, ideo sicut de facto visio Beatifica, quâ

quili-

quilibèt Beatus,etiam Christus Dominus videt Deum,non est visio Diuina: quàm videlicèt prodûcit Deus. Ita quod fieri nō potest etiā per absolutā Dei potentiam, vt intellectio increata Dei communicetur alicui creaturæ,vt per ipsam formaliter sit intelligens aut sciens.

2. Quare citra scientiam Diuinam, in Christo Domino necesse est ponere scientiam creatam:tum propter prædîctam rationem, tum ad integritatem ac perfectionem animæ rationalis necessario pertinentē. Alioqui frustra haberet animā intellectiuam.

3. Quæ scientia beata consistens in Dei visione est in Christo Domino excellentissime, tanquam in causa reducente homines de potentia ad actum beatitudinis.

4. Nec tamen per hanc scientiam beatam, cōprehendit Diuinam essentiam, cum impossibile sit alicui intellectui creato, tantum ipsam cognoscere quantum est cognoscibilis; etiam per absolutam Dei potentiam.

5. Vidit verò per ipsam Diuinam essentiam etiam in hoc mortali corpore existens, & omnia attributa Diuina, & omnes perfectiones, quæ in Deo sesunt formaliter, videt præterea omnia existentia secundùm quodcunq; tempus, omnium hominum dicta, facta, & cogitationes.

6. Itaque de facto videt in Deo, omnia genera, & species rerum, ad ordinem vniuersi pertinentium, quæ habent esse pro quacunq; temporis differentia: & totum ordinem vniuersi. Omnia genera & species rerum, non tantùm naturalium, sed etiam supernaturalium, quæ de facto habent esse pro quocunq; tempore, & concessę intellectualibus creaturis, quibus iustificantur, ordinantur, & ad vitam æternam perducuntur.

7. Et videndo genera & species rerum, consequenter videt omnia indiuidua rerum, pertinentium ad ordinem natûræ & gratiæ: & omnes rationes illis connaturales, secundum vniuscuiusq; ordinem. Non tamen videt omnes rationes ipsis conuenientes prout subsunt Diuinæ prouidentiæ, ac omnipotentiæ.

8. Ad hæc videt omnia mysteria fidei, siue illa pertineāt per se ad fidem, siue per accidēs. Item videt in verbo omnia suplicia damnatorum, præmia omnium beatorum omnes reprobos & beatos, qui sunt, fuerunt, vel erunt. Omnia singularia siue contingentia, siue necessaria, omnes actus liberos cogitationes, volitiones, hominum & Angelorum, atq; damnatorum quæ in æternum durabunt. Videt prætereа, ea quæ sunt in potentia creaturæ, licet nunquàm reducenda in actum.

Et tan-

9. Et tandèm videt omnia in verbo quæcunq; Deus ſcit ſcientia viſionis: ſicut & quilibet Beatus videt in Diuina eſſentia, ea omnia quæ pertinent ad ſtatum ſuum.

10. Non tamen videt nec vidère poteſt infinita etiam in actu primo ſeu habitu, nec de potētia Dei abſoluta, omnia poſsibilia quæ recondita ſunt in potentia ſolius Dei.

11. Nam etſi ex cognitione omnium effectuum poſsibilium in ſeipſis, ſi ponerentur extra Deum non ſequatur comprehenſio. Sequitur tamen ex viſione eorundem, in Diuina eſſentia, ſic quod ſi omnes effectus poſsibiles in Verbo videret comprehenderet Verbum.

12. Et ſi loquamur de accidentibus ſucceſsiuis, vt ſunt cogitationes futuræ in perpetuum, quas Anima Chriſti cognoſcit ſemper in actu ſecundo, vna ſimplicisſima cognitione beata: dicendũ eſt quod cognoſcit infinita actu. Licet loquendo de ſubſtantiis, & accidentibus permanentibus, nullo modo ſit dicendum infinita cognoſcere in actu.

13. Videt verò clarius & perfectius, cęteris omnibus creaturis rationalibus, primam veritatem, quæ eſt Diuiua eſſentia: & ea omnia quæ in ipſa videt.

14. Et adeo excedit in perfectione, & claritate illius viſionis beatæ, quod videat perfectius Deum

quam quæcunq; creatura: etiam poſsibilis: eſt e-nim viſio beata in Chriſto, ſicut & gratia ſumma poſsibiliter.

15. Nec tamen ideo eſt diuerſæ ſpeciei eſſentialis ſcientia beata Chriſti, à ſcientia beata cuiuſlibet alterius Beati: licet ſit diuerſæ rationis quoadmodum eſſendi.

16. Imo inuoluit contradictionem, dari aliquam cognitionem beatam diſtinctam ſpecie, à cognitione beata tam animæ Chriſti, quam aliorũ Beatorũ.

# De ſcientia indita vel infuſa.

1. PRæter ſcientiam beatam, oportet in Chriſto ponere aliam ſcientiam infuſam, ad perfectionem intellectus poſsibilis, per quam ille cognouit omnia quæcunq; poſſunt ab homine cognoſci, & virtute luminis intellectus agentis: & quæ per reuelationem Diuinam innoteſcunt. ſecundũ quodcunq; Donum Spiritus S. nouit plenius & abundãtius cæteris, excepta Diuina eſſentia.

2. Itaq; per iſtam cognoſcit omnes res naturales, non tantùm quoad eorum rationem commũnem, & quidditatem, & exiſtentiam. Verumetiam propriam & ſingularem cuiuſcunq; exiſtentiam intuendo.

Nouit

3. Nouit præterea omnia indiuidua, cuiuslibet naturæ, non solum illa quæ de facto erunt: verum & possibilia, illarum tantum naturarum, quæ de facto habent esse pro aliqua temporis differentia. Omnes cogitationes actu existentes: etiam vt sunt in intellectu, & dependent ex libera determinatione voluntatis.

4. Per eandem scientiam, scit quoq; certò & infallibiliter, in proprio genere, futura cõtingentia omnia, etiam libera, & vt sunt in suis causis determinatis: & vt sunt in seipsis intuitiue & non abstractiue.

5. Insuper per eandem scientiam, cognoscit intuitiuè res singulares præteritas. Omnia obiecta supernaturalia, & mysteria gratiæ exhibita, in quacũq; differentia temporis, euidenter & in seipsis.

6. Potuit verò ea vti, imo de facto vsus est aliquando, cum conuersione ad phantasmata: aliquãdo sine conuersione, aliquando cum discursu, aliquando absq; discursu, secundùm quod sibi placebat, non verò ex necessitate.

7. Tandem hæc scientia indita Animæ Christi Domini, est multo excellentior scientia Angelorum, quantum ad id quod se tenet ex parte Dei influentis: quò ad multitudinem videlicet cognitorum, & certitudinem cognitionis. Quantùm verò ad id

quod ſe tenet ex parte ſubiecti recipientis, eſt infra ſcientiam Angelòrum.

8. Vnde & recepta fuit in Chriſto per modum habitus, ac diſtincta per multos habitus: in quantum ad quamlibet naturam ſpecificam intelligendam, requirebat peculiarem ſpeciem intelligibilem.

## De ſcientia acquiſita.

1. NE autem intellectus Animæ Chriſti ſit ocioſus, ponimus in eo ſcientiam acquiſitam, per propriam induſtriam habitam: (id enim valde conſonat eius conaturalitati) per quàm ſciuit omnia illa, quæ poſſunt per actionẽ intellectus agẽtis ſciri.

2. Proficiebat vero in ipſa: licet in beata aut infuſa nullum habuerit profectum.

3. Et cum non fuerit conueniens, vt à quocunq; doceretur, ideo nihil ab vllo hominum didicit: cum ipſe ſit dux & præceptor omnium. Nec ab Angelis, cum ſit eorum Doctor teſte Dionyſio.

4. Sed experimentalem quidem, accepit à rebus ſenſibilibus, ſuper quas ſapientia Dei eſt effuſa. Infuſam vero, ex impreſsione ſuperiori immediate; nimirum à Deo, cui ſit laus & gloria.

# IN GRATIAM PHILOSOPHORVM.

Theſes præcipuæ ex Philoſophia, proponuntur.

## EX PHYSICA.

1. Materia prima eſt pura potentia, in genere Entium.
2. Per nullam potẽtiam poteſt exiſtere ſine forma.
3. Materia corporis cæleſtis, non eſt eiuſdem ſpeciei cum materia horum inferiorum.
4. Actio eſt ſubiectiuè in agente.

## EX LIBRIS DE ANIMA.

5. Idem eſt eſſe Animæ intellectiuæ & totius quod primo conuenit Animæ, & ab ipſa communicatur toti compoſito.
6. In quo eſſe anima in omni ſuo ſtatu ſubſiſtit, vt Quod.
7. Sanguis & alij tres hnmores, informantur ab anima rationali, in homine.
8. Intellectus poſsibilis, in ordine ad intellectionem quãcunque, concurrit actiuè eam producendo.

EX ME-

## EX METAPHYSICA.

9. In rebus creatis, natura & ſuppoſitum, diſtinguuntur realiter.

10. Suppoſitum ſupra naturam, addit Entitatem quandam poſitiuam, ſubſtantialem, intrinſecam ipſi naturæ quatenus eſt terminata. Quæ quidem Entitas recte vocatur ſubſiſtentia.

11. Quæ diſtinguitur realiter ab exiſtentia, in rebus creatis: in Deo aũt ſola ratione ratiocinata.

12. In vno compoſito, vnum eſt tantum eſſe ſimplex ſuppoſiti, nec poſſunt dari plures exiſtentiæ partiales.



*Diſputabuntur publice in Eccleſia SS. Trinitatis. Anno 1619. Menſe Die Hora.*

Ad Gloriam IESV Chriſti Filij Dei incarnati, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Beatiſſimi Patris noſtri S. DOMINICI honorem.

~~Columbini Mariani~~ ~~Theologia~~

~~Thesaurus absconditus verbi incarnati.~~